



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Svmma, Sive Avrea Armilla Bartholomæi Fvmi Placentini,
ordinis Prædicatorum, ac hæreticæ prauitatis Inquisitoris**

Fumo, Bartolomeo

Antverpiae, 1570

Immvnitas.

urn:nbn:de:hbz:466:1-30427

est veniale, mortale autem, quando propter delectationem quis provocat se ad vomitum, nulla alia ratione, nisi ut iterum comedat: secundum Tabul. Videtur enim contra naturam turpiter agere, & notabiliter gulosus, vel quando exponit se periculo alicuius notabilis mali corporalis, vel spiritualis. Videtur enim tunc ponere ultimum finem in delectatione gulæ.

² **IMMUNDITIA** corporalis, quando quis immundè, & sordidè comedit, & vivit, peccatum est: quia recte rationi dissonat, sed communiter veniale. in rebus non sacris, in sacris vero si notabilis est, mortaliter agitur, quia divina reverentia offenditur, & sub præcepto prohibetur iure canonico, in capit. relinqui. de custo. eu. supra, Corporalia. §. 5. Aduertant hæc sacerdotes, ut in sacris, & præsertim in his, quæ circa missam sunt, ut immunditiam vitent.

IMMUNITAS, supra, Emunitas.

IMPEDIMENTVM, infra, Matrimonium.

IMPUBES.

¹ **IMPUBES** dicitur homo vsque ad annum 14. completum in masculo, in femina vsque ad 12. inclusivè. C. quando tur. vel cur. l. ult. & quantum ad determinationem ecclesie. licet secundum naturalem dispositionem quandoque in tali ætate non sint apti ad generandum, & sic non dicerentur impuberes, ut in cap. puberes. de despon. impu. quia tamen in hac ætate communiter pubescere incipiunt, ideo ecclesia sic statuit, & tunc possunt contrahere matrimonium, ut in cap. impuberes. & c. continetur. de despon. impuber. non autem ante, nisi proximi essent pubertati, & malitia suppleret ætatem in c. de illis cl. i. co.

² **IMPUBES** testis esse non potest in maleficijs. ff. de testib. l. in testimonium, quantum ad plenam probationem, sed ad iudicium potest examinari, & dictum eius est sufficiens

ad iudicium, secundum Bartol. in l. talis. C. de his quibus ut indig. non tamen debet torqueri, licet soleat terri, & habena, vel ferula caedi. ff. ad Senatuscon. Sylleia. l. i. §. impuberes. Nec possunt impuberes, & furiosi capitalem committere fraudem, id est, pœnam pro qua capite sint puniendi. ff. de ædil. edict. l. cum autem. Quamvis in ætate ante hoc tempus incipiat pubertas, tamen hoc est tempus in iure decretum. Pubes namque proprie lanugo est, quæ matibus in anno 14. in feminis 12. circa pendenda nasci consuevit.

INANIS gloria, supra, Gloria.

IMPIETAS.

¹ **IMPIETAS**, quia patribus, & concubinis debitoribus subtrahitur, aut iniuria irrogatur mortale peccatum est ex suo genere, & valde graue, contra primum præceptum secundæ tabulæ, & hoc si fiat animo nocendi, vel inhonorandi talem, ut talis est, nisi quando esset pro re minima, & in primis motibus animi. Si autem non sit animus despiciendi beneficium, patriam, parentes, vel huiusmodi, sed ex alia causa, tunc iudica mortale, vel veniale, secundum materiam, circa quam versatur impietas, & adde peccato maiorem grauitatem, sicut fit in peccato ingratitude, secundum Caietanum ibi. Pariter etiam peccatur contra supradictos in omitendo ea, quæ quis exhibere tenetur.

IMPUDICITIA.

¹ **IMPUDICITIA** vitij est quando quis vacat actibus, tactibus, osculis, & amplexibus libidinose, hoc est, causa delectationis sensibilis, quæ ibi sentitur, etiam si nullum opus aliud intendat, & si fiat à non coniugibus, mortale est, secundum Caietanum ibi. quia huiusmodi delectatio, ad generationem est ordinata, sicut & ceteri actus venerei, & propterea nisi fiat propter generationem licitam, peccatum est, ob priuationem proprii finis, quia dicit Apostolus Gal. 5. quod impudicitiam agentes, regnum